13

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

DE

PNEUMONIA.

AUCTORE JACOBO SAYERS.

PROŒMIUM.

PULMONES, qui sedem præbent morbo quem opusculi materiem duxi, situm habent in thorace, cujus longe majorem partem complent, et figurâ ungulæ bubulæ haud dissimiles sunt; ex portionibus duabus constant quarum dextra major est, et in lobos tres divisa, sinistra tantummodo in duos; hi lobi in lobulos plurimos iterum diducuntur, qui ex membranâ cellulari adipe destitutâ formantur, et ex cellulis inter se libere communicantibus constant. Color multo variat æta-

tibus diversis; junioribus rubicundulus, ætate media cœruleus, et senibus lividus est, et quoque plerumque maculis nigrioribus tinctus. Ope bronchiarum cum tracheâ, magnorum vasorum cum corde, et mediastini pleuræque cum partibus vicinis pulmones firmissime connectuntur. Munere summi momenti funguntur, respiratione nempe, cujus ope sanguini subvenit mutatio, quâ ad vitam sustinendam idoneus redditur. De trachea et larynge, quæ iter ad pulmones a faucibus constituunt, voci loquelæque inserviunt, et exitum quoque a pulmonibus humoribus quibusdam vitiatis dant, nunc minutius dicere non necesse est. Ex his paucis de pulmonibus supra dictis plane patet, maxime necessarium esse pulmones usibus solitis perfungi valere, summum igitur medicorum consilium omni tempore in eos directum fuit.

Obnoxii sunt pulmones variis morbis, ex quibus de pneumoniâ solâ hoc loco dicere volo, et sub nomine hoc generico, pleuræ costalis vel pulmonalis inflammationes, æque ac parenchymatis pulmonum comprehendere propono, quippe quoniam medendi ratio omnibus eadem est, non maximi momenti

est, distinctionem accuratissime facere inter diversas species; quamobrem, si mihi judicare liceat, scriptores, qui multas species varias numerare voluere, et nosologi, qui iis speciebus nomina propria imposuere, sine causâ satis validâ fecisse videntur; ab opinionibus eorum igitur discedo, et ut antea dixi, sub nomine pneumoniâ, peripneumoniam veram et notham, æque ac pleuritidem includere volo.

DEFINITIO.

Hic morbus a Culleno his notis distinguitur. "Pyrexia, dolor in quadam thoracis "parte, respiratio difficilis, tussis," et duas species numerat, quarum definitiones, ob rationes supra redditas, memorare nolo: de definitione supra dicta quædam offerre progredior. Pyrexia interdum mitior, interdum gravior est, et sæpe de oppressione gravi in pectore potius quam dolore conqueritur æger; respiratio difficilis semper adest.

HISTORIA MORBI.

Pneumonia nec sexui nec gradui nec ætati nec regioni parcit, sed frequentius in latus dextrum quam sinistrum incursum facere dicitur, et in mares quam fœminas, sed de hâc re alio loco amplius tractabo. Morbus hic sæpissime obvenit modo sequente; sub initio plerumque est frigoris sensus cum rigoribus, quibus brevi tempore succedunt anxietas, lassitudo, sitis, calor, et alia pyrexiæ signa, et simul plerumque, sed sæpe antea, et nonnunquam postea, occurrit dolor pectoris, qui nunc lenis vel fere nullus, nunc obtusus cum sensu quasi ponderis in tota viscera enthoracica prementis, et nunc iterum acutus et pungens est, et sub inspiratione maxime auctus; sæpe non omnino fixus restat, sed per totum thoracem libere vagatur, sæpissime tamen locum tenet sub costâ septimâ vel sextâ, et illic ab ægrotante distinctè notari potest. Tussis frequens, dolens, et rauca per totum morbi decursum ægrum vexat, et sputa multum variant quantitate colore ac spissitudine diversis ex-

emplis, et etiam eodem exemplo morbi diversis stadiis; nunc perquam tenuia sunt et parcè rejecta, nunc spissa viscida et interdum purulenta, vel sanguine striata et libere expectorata. Respiratio, in hoc morbo, omni tempore difficilis est, et haud raro non nisi trunco corporis erecto peragenda; nonnunquam sibilat æger dum spirat; sæpe, præsertim si dolor pectoris acutus et pungens adsit, decubitus in latus utrumque, sed magis in latus affectum difficilis fit. Facies sæpissime coloris rubri vel purpurei est. Oculi suffunduntur lachrymis, et fauces rubescunt; lingua quoque arida fit, et tunicâ fuscâ viscidâ et mucosâ obducitur, et interdum cutis ejus in rimas dolentes hiat. Sanguis in hoc morbo missus tunicam coriaciam plerumque ostendit, ut in aliis phlegmasiis; interdum tamen, sed raro, accidit, sanguinem hanc tunicam non præbere, et etiam in morbo non lævi sed satis acutâ; cavere igitur oportet, ni, hoc signo delusi, in maximos errores, etiam ad ægri vitam destruendam, duceremur. Pulsus plerumque frequens validus et durus est, sed interdum mollis et debilis, præsertim morbi stadio pro-

vectiore, et nonnunquam irregularis fit, sed hoc rarius accidit. Prope finem morbi infauste terminaturi occurrunt labiorum lividitas, oculorum debilitas, extremitatum frigus, circa caput et pectus sudor, delirium et convulsiones.

TERMINATIONES MORBI.

Hujus morbi variæ sunt terminationes, frequentissime resolutione, nonnunquam suppuratione, et omnium rarissime gangrænâ; est vero terminatio pneumoniæ sibi propria, nempè effusio materiei cujusdam sanguineæ vel serosæ in vesiculas aëris, quâ fit respirationem ab ægro peragendam non esse, aut difficillime. Resolvi dicitur morbus, si, cessante inflammatione, abeat, partibus affectis illæsis manentibus; hoc vero raro occurrit sine cujusvis medelæ modi ope, vel saltem sanguinis aliquo fluxu, qui sæpissime e narium membranæ vasis, interdum ex hæmorrhoidalibus prodit; dicitur quoque diarrhœam spontaneam, vel urinam copiose redditam ac sedimentum depenentem morbo finem imposuisse; sed hæc

raro occurrunt: sed, ut a plurimis notatum est, resolutio hujus morbi sæpissime induci videtur, expectoratione materiei crassæ viscidæ albidæ vel flavæ, sanguine striatæ, et copiose rejectæ tussiculâ leni; frequenter quoque resolutionem comitatur et forsan promovet sudor copiosus calidus, totâ corporis superficie erumpens, et pulsûs frequentiam, et alia symptomata pyrexiæ multum levans. Remissio doloris, rigores frequentes, dyspnœa magis anxia vel etiam orthopnœa, auctâ frequentiâ pulsûs, paroxysmis febrilibus vespere supervenientibus, et brevi, febris hecticæ cum omnibus comitantibus formatione, suppurationem denotant. Gangræna terminatio maxime horrenda, de quâ multa dicere non oportet, rarissime occurrit, et tunc non facile discernenda est a terminatione quartâ, nempe effusione, cujus terminationis duæ varietates sunt, scilicet, effusio sanguinis et effusio seri, hæ accidunt vel in parenchyma vel in bronchias, et causæ frequentissimæ pneumoniæ finis lethalis rite habentur. Interdum denique pneumonia in hydrothoracem exit, sed de hoc morbo, nunc tractare non necesse est.

INCISIO CADAVERUM.

Inspectis cadaveribus discimus pulmones plurimum inflammatione affectos fuisse, nam semper rubent, et tactui impressionem spongiæ similem dant, et interdum etiam, ut exemplum narrat Baillie, sed rarius, jecinoris firmitatem æmulari videntur.

Gravitas specifica quoque major est quam naturalis, nam in aquam immissi imum statim petunt. Pus, vel lympha, vel etiam sanguis ruber, in bronchos, vesiculas aëris, vel cava pleuræ effusus, sæpe notatur, et pleura ipsa vasis multis sanguine turgidis conferta, et tunicâ lymphæ coagulatæ, vasculis adhæsiones inter eam et partes vicinas facientibus nidum præbente, oblinitâ observatur. Hæ adhæsiones ita frequenter occurrunt, etiam in cadaveribus eorum, qui, vitâ adhuc durante, nullis pneumoniæ symptomatis laborare, ut originem duxisse inferre possumus ab inflammatione leni prægrediente, de qua homo ipse nunquam conquestus fuerat.

CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

Res, ex quibus proclivitas ad hunc morbum captandum oriri videtur, sunt præcipue, anni tempora certa, nempe hyems et ver, quibus adsunt subitæ tempestatis mutationes, habitus corporis plenus, et temperamentum sanguineum, quæ huic morbo maxime obnoxia esse omni tempore tenuere medici, liquorum spirituosorum usus frequentior, laute vivendi habitus, labor nimius, sexus masculinus, malconformatio partium thoracis circumcingentium pulmones, pulmonum ipsorum nimia exiguitas, evacuationum solitarum suppressio, sive naturâ sive arte originem ducentium, et denique, forsan præ cæteris omnibus, pneumonia prægressa; cæteris paribus, juniores magis proclives sunt huic morbo quam senes.

CAUSÆ EXCITANTES.

Frigus, præsertim si cum humore conjunctum, et corpori calenti vel sudanti adhibitum, sæpissime est causa ex qua hic morbus oritur; nonnunquam etiam vehemens exercitatio pulmonum, ut canendo, clamando, vel instrumentis musicæ inspirando, hunc morbum excitat, si proclivitas adsit; pathemata mentis quoque a quibusdam, pneumoniæ originem dare, dicuntur.

CAUSA PROXIMA

Est inflammatio cujusdam partis pulmonum, aut pleuræ pulmonalis vel costalis.

DIAGNOSIS.

Inter pneumoniam et omnes morbos, qui similes esse dicuntur, hepatitide excepta, diagnosis non difficilis est, et, in his regionibus saltem, inter hos morbos etiam, apparent diversitates sequentes; in hepatis partis superioris inflammatione, quâ hepatitidis varie-

tate solâ confundi potest pneumonia, dolor maxime augetur pressurà, quod in pneumoniâ non accidit, et quoque raro tam gravis est quam in pneumonia, febris plerumque levior est, et æger in latus dextrum faciliùs decumbit, in pneumoniâ autem in dorsum decubitus plerumque minus difficilis est; in hepatitide, dolor aut fixus restat, aut per cursum nervi phrenici, et ad claviculam, apicemque humeri solum sentitur, in pneumoniâ, ex uno in alterum latus liberrime vagatur; in hepatitide tussis sicca est, in pneumonia plerumque humida; in hepatitide denique vomitus et singultus nonnunquam adsunt, in pneumoniâ raro si unquam. Peripneumoniam notham, morbi qui dissertationis materies est, CULLEN et alios non parvi nominis sequens, varietatem tantum habeo, in senibus præsertim occurentem, et ob temperamentum minus inflammatorium, levioribus symptomatis aggredientem, quamobrem, inter has varietates minutius dicere hoc loco, mihi non attinet. A gastritide facilè distingui potest pneumonia, absentiâ doloris ac tensionis epigastrii, singultûs, aliorumque signorum gastritidis. A carditide dignoscere possu-

mus pneumoniam palpitatione, pulsu intermittente, et syncope in carditide occurrentibus, et, quoniam medendi ratio utrique eadem est, diagnosis non maximi momenti est, tantum indicans remedia diligentissime adhibenda esse in carditide.

PROGNOSIS.

Prognosis de eventu pneumoniæ a symptomatum violentiâ et ægri viribus deducenda est. Tussis gravis sicca et dolens; dyspnœa in orthopnœam evadens, et ita premens, ut, etiam trunco corporis erecto vel inclinato, vix spiritum trahere possit ægrotans; et quoque, facies rubra vel livida gravem morbum indicant; si dolor magis obtusus fiat, dyspnœâ adhuc perstante, timendum est ne suppuratio vel effusio æggressa fuerit, et, si hoc accesserit, parum spei restat: tussis vero libera, humida, et expectorationem copiosam sine magno nixu rejiciens, et omnia alia symptomata gradatim abeuntia, præsertim si ægri constitutio alioquin sana sit, eventum felicem promittere jubent. Finis infaustus plerumque a tertio die usque ad

septimum primæ septimanæ occurrit, sed interdum, præsertim suppuratione formatâ, serius accidit. Resolutio sæpissime accidit quovis die hebdomadæ primæ, sed interdum non ante hebdomadam secundam, et HIPPOCRATES exemplum tradidit, in quo resolutio post vicesimum quartum diem occurrerat, sed hoc unicum est; plerumque vero post septimum diem suppuratio timenda est.

RATIO MEDENDI.

TRIA consilia complectitur, viz. inflammationem minuere, expectorationem promovere, et vires ægri sustinere. Remedium, cui maxime fidendum est ad inflammationem tollendam, est sanguinis missio generalis; de quantitate uno tempore deducendâ, ullam regulam certam proponere non possumus, de ætate, viribus, et temperamento ægri, et symptomatum violentiâ omnino pendet; sed, si evacuatio unciarum sexdecim vel viginti, ut premunt symptomata, ad morbum levandum non valeat, repeti debet venæsectio postero, vel etiam eodem die, et liberius quam tempore priore, si vires ægri

non prohibeant; plerumque secundam venæsectionem multo melius quam priorem patitur ægrotans; quanto pleniore rivo mittatur sanguis, tanto melior erit effectus, et interdum accidit, morbo violentissimo et ægro plethorico, ut, uno tempore ex brachiis ambobus, et plenioribus rivis, cum summo beneficio detractus sit: quantitatem sanguinis summam, quæ detrahatur sine periculo, statuere difficillimum est, sed in exemplis diversis, jactura sanguinis a centum unciis usque ad centum et quadraginta tolerata fuerat, et æger convaluit; et in aliis, amotus fuit morbus jacturâ tantum unciarum triginta, vel, sed raro, viginti etiam; in varietate morbi dictâ peripneumoniâ nothâ, venæsectio non tam necessaria est quam in aliis varietatibus, et sæpe nocet. Post sanguinis detractionem, epispastica multum prosunt, parti dolenti tam proxime quam fas sit applicata, et pro re nata renovata. Ex Catharticis, laxantia sola in hoc morbo exhiberi debent, et salina mitiora cum maximo beneficio exhibita sunt, cum, ab aliquâ causâ, sanguinis quantitas satis magna detrahi non potuerit. Emetica, dosibus nauseantibus,

morbi provectiore stadio, non sine beneficio exhibita sunt. Opii exhibitio, cum inflammatio superata sit, multum prodest, dolorem ac tussim minuendo, et quoque sputa promovendo; non, ut nonnulli volunt, supprimit, sed potius auget effectum mucilaginosorum et oleosorum, quæ in hoc morbo utilia sunt ad tussim levandam, et inde mucum concoqui sinendum. Inhalatio vaporis aquæ tepidæ cum aceto expectorationem movere videtur. Expectorantia pleraque ob naturam acriorem exhiberi non debent, antimonii et quoque ipecacuanhæ compositis exceptis, quæ antea, de emeticis narrans, memoravi, in dosibus nauseantibus exhibita, multum prodesse. De exhibitione sudorificorum in hoc morbo multum differunt medici, a quibusdam laudantur, et ab aliis vehementer condemnantur. Per totum morbi decursum, regimine dicto antiphlogistico uti debent ægri, scilicet, cubiculo cujus temperies circiter gradum quadragesimum quintum, vel quinquagesimum Fahrenheit sit, et a calore externo æque ac frigore probe defenso; diætâ levi, tenui, et præsertim ex materie vegetabili paratâ, et

omnium stimulantium, præsertim vinorum, et ciborum e carnibus confectorum, cantissimâ evitatione; et præ omnibus, ab ullâ pulmonum exercitatione insolitâ, rigidâ abstinentiâ. Denique, homine nunc convalescente, si a morbi violentiâ vires multum imminutæ sint, systematis vigorem renovare, diætâ pleniore, ac vini generosi quantitate probâ; si necesse sit, plane indicatur; et postremo, cautè moneatur æger, ne ad priorem vitæ habitum nimis subitò redeat.

FINIS.